Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1233
Quelle:
Copyright:



tum *Speculum Locheri* perperam igitur a. 1442. adfigit, D. *Stephani* Canonicum et Theol. Doct. *Johannem* denique *Städler de Landshuta* Theol. Baccal. et in Collegio duc. Collegiatum cum multis aliis Viris, ut ait Noster, *moralissimis et virtuosissimis*. Unde Academia vacationes indixit, et Noster *ad partes natiuas* digressus *tredecim integris septimanis et die vna* abfuit, redux *feria tercia post elizabeth*, et quanquam in diem *Colomanni* conventum prius fuisset, Lectiones tamen non nisi *in sequenti Katharinae* resumtae sunt. Haec fuse Anonymus noster, quem *Thomam Haselbachium* suspicor. Meminit Pestis hujus *Ederi Catalogus*, non vero *Conspectus Hist. Universit. Vien.*

III. *fol.* 267. Prolusiones III. videlicet *Praelectionum* in II. III. et I. *Sententiarum* ad eundem Autorem pertinentes, cum idem Thema habeant, nempe illud *Gen.* c. II. v. 10. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis* &c. nec dubium ad eundem referendas, cujus sunt *Praelectiones* supra indicatae. Collegas ille suos in exponendis *Sententiis* nominat in Prolusione I. *Perchtoldum Deuchsler de Nurnberg*, *Joh. Sträler O. P. Rudolfum Doctorem*, quod mirum, *in Medicina*, et *Joh. de Dünkelspühl*; in II. hunc eundem et *Nicolaum de Auln*; in III. hos eosdem. Meminit horum Virorum *Locheri Speculum*. Prolusionibus adhaerent *Supplementa* ad *Praelectiones*, quae praecedunt.

IV. *fol.* 338. p. 2. Acta pertinentia ad Controversiam Mendicantibus motam de Facultate praedicandi et confessiones excipiendi. 1) *Bulla Johannis* XXII. data *Avinione IX. kal. Aug. anno quinto*, quae incipit: *Vas electionis doctor eximius* &c. Favens Fratribus legitur etiam in *Bullario Ord. Praed.* T. II. p. 152. 2) *Bulla Alexandri* V. data *Pisis IV. id. Octobr. anno primo*, quae incipit: *Regnans in excelsis triumphans ecclesia* &c. Pariter pro Fratribus legitur T. *cit.* p. 501. 3) *Oblata reformatoribus in Constantia per nuncios vniuersitatis Studij Parisiensis*. Non reperi in Actis Concilii, nec in *Bulaei* Hist. Univ. aut *Gersonis* Opp. Incipiunt: *Quia Christiani patres et insignes Domini alma mater nostra vniuersitas studij parisiensis semper habuit et habet zelum legis et fidei* &c. nitunturque efficere, non esse recipiendam *Alexandri V. Bullam* supra adlatam. Iterata in his *Cancellarii*, id est, *Gersonis* mentio. 4) *Responsio data per fratres mendicantes oblata reformatoribus*. Incipit: *Reuerendissimi in christo patres et Domini metuendissimi, ad peticionem ut fertur factam ex vniuersitate venerabilis studij parisien.* &c. Negant *Bullam* illam aut subreptitiam, aut extortam fuisse, et offerunt se ad respondendum *in publica audientia coram vniuersò sacro concilio generali* omnibus, quae contra eam obmovenda essent. Notae chronologicae absunt.

V. *fol.* 348. Decisio quodlibetica Quaestionis: *Utrum Simoniacus*